



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 20. Altera quæstio est inter Recentiores, An probabile sit, illum
qui post confessionem ritè institutam tendit ad Communionem, &
recordatur peccati lethalis quod per oblivionem inculpabilem ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO XX.

Altera Quæstio est inter Recentiores, An probabile sit, illum qui post confessionem rite institutam tendit ad communionem, & recordatur peccati lethalis quod per oblivionem inculpabilem omisit, non teneri illud peccatum confiteri antequam communionem percipiat.

Communis sententia est illum teneri à communione recedere, donec peccatum sic prætermisum confiteatur, nisi obstat grave scandalum, aut infamia. Docent tamen non pauci ex Recentioribus talem non teneri etiam cum minori suo incommodo à communione recedere, modo peccatum illud post communionem tempore oportuno clavibus subiiciat: Idque ex professo defendit Ferrantinus disp. 1. quæst. 80. citans etiam Henriquez, & Petrum Cornejo, quamvis, teste Thoma Hurtado tom. 1. fol. 105. Inquisitio Hispanica illius sententiam expunxit. Favet tamen Pasqualigus quando per omissionem communionis amittendum esset Jubilæum, citatur etiam Propositus & Tamburinus quando quis ad linteum communicaturus expectat, et si possit sine infamia recedere. Verum hoc in praxi non admitto, ubi neque infamia, neque aliud grave incommodum intervenit.

Ratio istorum authorum est, quia talis non tenetur abstinere à communione ob defectum debitæ dispositionis, est enim in statu gratiæ, & peccatum illud est indirectè remissum per priorem confessionem in qua per oblivionem omis-

sum

136 Pars 1. tract. 3. De Opinionum probabilitate
sum fuit. Ergo non ostenditur ullum præceptum
præmittendi novam confessionem præcisè ratio-
ne communionis, modò peccatum illud postea
suo tempore semel directè clavibus subiiciatur.
Et hanc doctrinam probabilem censet Fabri-
tom. 1. Apologetici pag. 384. Cum eo tamen
monendum judico, non esse eam in praxi propo-
nendam, nisi in ordine ad Scrupulosos qui me-
moriæ suæ nimium diffidunt, & repetendis pec-
catis, ac confessionibus supervacaneam operam
impendunt.

QUÆSTIO XXI.

*An Attritio concepta ex metu gehennaæ sufficiat in
Sacramento penitentiaæ, sic ut non requiratur
Amor benevolentiaæ.*

S. I.

Proponitur status & progressus controversia;

Hæc controversia, quæ omnes fideles con-
cernit, antiquioribus parum dubia, mirum
quantum plures nostro ævo Scriptores fatigat.
Postquam enim graviores de Gratia & libera-
te quæstiones circa annum 1642. Sedis Aposto-
licæ authoritas præcidit, non multò post ex eâ-
dem radice hæc, aliaeque disputationum reliquiæ
pullulare cæperunt. Illis in lucem provehendis
primum in Gallia manum admovit Montaltius,
cui operam ibi commodarunt alij parum fortu-
natam. Apparuerunt brevi tempore in Belgio
doctrinæ istius Gallicanæ traduces in'levi folio,
edito nomine Parochorum Gandensium contra

suffi-